DE

LINGVIS IN EXST
BABYLONEN

BREV

COMMENTATIO

IN LOCVM MOSAICVM

QVA

EX LEGE BENEFICII

PRAES

IOANNE G

DRAS

AA. M. ORD. PHILOS. ADIV

ACADEMIAE BIBL

IN AVDITORI

A. D. XXVI. AVGVST

TVEBIT

AVGVSTVS AMBR

ZWETHAVIENS

WITTEBE

LITTERIS ADAMI CHRI

DE
XSTRVENDA TVRRI
NENSI ORTIS

BREVIS
ATIO EXEGETICA
OSAICVM GENES. XI, 1-9.

QVAM
EFICII THILEMANNIANI
AESIDE
GOTTLIEB
ASDO

S. ADIVNCTO ORDINARIO ET
AE BIBLIOTHECARIO
TORIO MAIORI
AVGVST. CIↃIↃCCLXXXII.

TVEBITVR
MBROSIVS ROEMER
HAVIENSIS SAXO.

TEBERGAE,
MI CHRISTIANI CHARISII.

Quae Geneseos Cap. XI. narrantur de *confusione linguarum gentiumque dispersione*, inde ab antiquissimis temporibus non tantum multa multorum dissensione et disputatione exagitata sunt, sed, ipsis etiam hostium nominis christiani calumniis obnoxia facta, ludibrio ipsis esse coeperunt et veluti ludicra per iocum irrideri. Sic v. c. *Iulianum* scimus, teste Cyrillo Alexandro, [a]) etiam hoc nomine et Iudaeos et Christianos illusisse nimiamque ipsis exprobasse credulitatem, quod ex S. suis libris edocti putarent, Deum consiliis hominum destruendis linguae confusionem eis immisisse, quasi ex eorum conatu pertimuisset, ne grauius aliquod malum nasceretur. Caeteri illorum temporum gentilium philosophi totam hanc de turri Babelis narrationem cum *Celso* [b]) lepidam fabulam esse dicebant, quam conditor libri depromsisset ex poetarum narratione de bello Titanum, qui montibus congestis coelum conati essent oppugnare. Has quidem criminationes, auctori Geneseos factas, etsi non ignoro, nostris quoque temporibus fuisse, qui magno cum apparatu recoquerent, nec tamen operae pretium mihi facturus videretur, qui fusius eas disiicere

a) *Cyrillus contra Iulianum*. L. IV. in Opp. eius T. VI. p. 134. Lutet. 1638.

b) *Origenes contra Celsum*, L. IV, 22. in Opp. ej. T. I. p. 514. Paris. 1733.

vellet atque diluere, postquam saepius iam a viris, in omni literarum genere quam maxime versatis, accurate discussae sunt atque explosae. Licet vero ab his aliisue cauillationibus facile intelligam, nihil timendum esse nostrae sanctissimae religionis veritati, me tamen valde miratum esse non inficior, cum in lectione Geneseos ad Cap. XI. delatus, nuper viderem, in quot quamque diuersas sententias viri eruditi in historiae huius explicatione traherentur. Magis vero mirabar, cum intelligerem, esse nonnullos, qui locum hunc plane depositum putent et conclamatum, in cuius explicatione ad allegoricum sensum sit confugiendum. A quorum quidem fingendi libidine etsi longissime absum, tamen cum vulgarem etiam explicationem multis obseptam video difficultatibus, neque huic vt subscriberem animum inducere potui, inprimis cum alia se mihi offerat eaque, vt mihi intelligere videor, facilior atque expeditior. Hunc igitur explicandi modum, quoniam ad alia etiam Geneseos loca rite explicanda commode potest transferri, eo magis operae pretium me facturum esse duxi, si oblata hac scribendi opportunitate, breuiter exponerem et doctiorum iudicio atque examini ea, qua decet, modestia submitterem. Hoc vero ordine modoque disputatio nostra erit descripta, vt *praemissa loci versione paucisque super ea notulis adspersis, potiores interpretum sententias recenseamus* et deinde *de alio narrationis Mosaicae sensu dispiciamus.*

Versionem Genes. Cap. XI, 1 - 9., a qua nobis ordiendum est, contexere placuit hoc modo: *Illo tempore cum omnes homines vterentur lingua vna eademque, Orientem versus profecti, planitiem inuenerunt in terra Sinear, in qua consederunt. Tunc coepit alter alterum cohortari, vt lateres conficerent coquerentque, quibus quidem saxorum loco, bitumine vero caementi instar vsi, vrbem aedificarent turremque, quantum fieri posset, altissimam, quam pro signo haberent, ne per orbem terrarum diffunderentur. Tum Ioua coelo descendit, vrbem et turrem, quam homines exstruerent, visurus. Dicebat enim, quoniam homines, vna lingua vsi, tantopere sunt concordes in opere, communi consilio inchoato, non irritum ipsis erit, quod exequi conantur. Itaque delapsus confundam eorum linguam, ita vt alter alterum loquentem non intelligat. Dissipauit hoc modo Ioua homines per totum orbem terra-*

terrarum. Ita destiterunt homines ab vrbe aedificanda, quae hanc ipsam ob causam vocabatur Babel (confusio), quia nimirum Ioua ibi hominum linguam confudit, eosque inde in omnes terrarum regiones disiecit.

ארץ v. 1. non terram ipsam significat, sed *incolas eius s. homines*, quo sensu saepe occurrit, v. c. Gen. VI, 11. 12. Ante כל subaudiendum esse videtur ל, vt sensus sit: *habebant homines vnam linguam;* nisi reddere velis hoc modo: *erant vnius linguae.* שפה centies occurrit de sermone, inprimis in Prouerbiis Salom: v. c. C. XVII, 4. 7. hinc puto שפה et דברים h. l. mera esse synonyma. Alii vero his verbis indicari volunt non vnam linguam, sed animorum consensum idemque consilium, quod homines inierint de turre exstruenda. Et habent profecto, quo speciem huic sententiae praetendant. Prouocant enim ad Ios. IX, 2. et. 1. Reg. XXII, 13. vbi phrasibus non admodum diuersis animorum consensum indicari negari non potest, quemadmodum etiam Ps. LV, 10. verba: *diuide eorum linguam* nihil aliud significant, quam sententias eorum diuide, fac, vt discordia inter eos oriatur. Haec quidem explicatio quanquam vsui loquendi non plane repugnat, tamen priorem duxi praeferendam, tum quoniam hic verborum significatus est frequentior in Scripturis, c) tum quoniam magis conuenire videtur v. 7. — Vers: 2. valde se torquent eruditi in explicatione vocis מקדם. Nam Armenia, quam post aquarum inundationem homines incoluisse constat ex C. VIII, 4., Babyloniae non ad Orientem, sed ad Aquilonem sita est. Sed disparet difficultas, si tenemus, מקדם ab Hebraeis subinde poni per ellipsin pro: *in regionem, ab Oriente sitam,* quo sensu extat Gen. XIII, 11. Hinc fit, vt מ etiam aliis vocabulis iunctum significet *versus* v. g. 2. Sam. VI, 2. coll. 1. Paral XIII, 6. Recte vero Moses dicit, homines ex Armenia in Babyloniam migrantes contendisse versus Orientem, tum quod iter ex Armenia in Babyloniam, maximam partem ad Orientem ducit, tum quod Babylonia respectu Iudaeae, ad quam se scriptores S saepe accommodant in locis describendis, ad Orientem sita est. *Terram Sinear* esse tractum terrarum circa Babylonem, non tantum ex Cap. X, 10. manifesto liquet, sed intelligitur

 etiam

c) hoc fusius probauit *Perizonius* in *Origg. Babyl.* C. IX. p. 153. sq.

etiam ex Dan. I, 2., vbi Nebucadnezar legitur vasa templi deportasse *in terram Sinear in domum Dei sui* i. e. in fanum Beli, quod erat Babylone. d) — Vers. 3. et 4. manifestam continent ὑστερολογίαν; nam prius inire debebant homines consilium de vrbe condenda, quam de modo illius exstruendae cogitarent. Hinc verba: *et fuerunt ipsis lateres pro* &c. duce *Dathio*, V. S. V. ex forma recta mutaui in obliquam, ac si pertinerent ad exhortationem praecedentem. ל saepe esse *pro, instar*, tritius est, quam vt exemplis demonstrem, quae vel ex *Glassio* possunt depromi. חמר, quod lateribus fuit interstratum, esse *bitumen s. asphaltidem, Erdpech*, scimus non tantum ex Cap. XIV, 10. et Exod. II, 3. sed etiam ex *Theodoreto* e) multisque veterum scriptorum testimoniis. f) וראשו בשמים miror *Ill. Michaelem* haec reddidisse *dessen Spitze in die Wolken gehe*, cum huic phrasi inesse constat nil nisi hyperbolen, Hebraeis quam maxime vsitatam, quae insignem tantum altitudinem indicat, coll. Deut I, 18. Sic apud Homerum occurrit ἐλάτη ὀυρανομήκης, *abies ad coelum pertingens* et Cicero pro domo sua dicit: *ad coelum exstruxit villam*. שם plerique interpretes de *fama* s. *gloria* intelligunt, quem vero significatum h. l. sequentia respuunt. Nam quid hoc sibi vellet: *famam paremus nobis, ne dispergamur*. Hinc *Perizonii* sententiam amplector, qui in *Origg. Babyl.* c. 8. ex vsu loquendi probauit, שם esse *signum* s. *monumentum*. Loca, in quibus hic significatus obtinet, sunt Ies. LV, 3. LVI, 5. coll. 1 Sam. XV, 12. it. 2 Sam. VIII, 13. Itaque homines, quoniam vitam pastoritiam agebant et cum gregibus per pascua vagabantur, monumentum condere voluerunt, quo conspecto sedes suas eo facilius reperirent. — בני האדם v. 5. rectius *de hominibus in vniuersum* explicandum esse puto, qui significatus est valde frequens v. c. Eccl. III, 19. Marc. III, 28. coll. Matth. XII, 31. quamquam aliis secus videtur, qui hanc formulam de impiis hominibus intelligunt, vti C. VI, 2. sed ibi opponuntur בני האלהים. — עם אחד v. 6. indicare mihi videtur *hominum concordiam in opere perficiendo*. בצר in chaldaica pariter ac Syriaca lingua signi-

d) vid. *Iosephi Archaeol. Iudaic.* L. X. c. 11. Edit. Haverc. T. I. p. 537.

e) *Quaestiones in Genesin*, Quaest. 59.

f) loca eorum collegit *Bochartus in Phaleg et Canaan* L. I. c. 11.

significat *praecidit, imminuit;* hinc sensum h. l. puto esse hunc: *non destituentur operis, quod moliuntur, exitu.* — In numero plurium נִרְדָּה v. 7. nec mysterii aliquid inesse censeo, nec vim aliquam singularem, aeque ac Cap. I, 27. — Nomen vrbis בָּבֶל, quoniam ex בָּלַל, vnde ortum volunt, non satis commode potest deduci, formatum mihi esse videtur ex specie geminata, in verbis med. gemin. valde vsitata, in quo consentientem habeo Chaldaeum, qui בָּבֶל reddit בִּלְבֵּל g).

Difficilioribus huius pericopae verbis explicatis, *potiores interpretum de linguae confusione sententias* perlustrabo, in quo vero propter angustos, quibus coërcenda est haec scriptiuncula, fines, quam breuissime potero defungar. Commode autem variae de hoc loco sententiae dispesci mihi posse videntur *in classes tres*, quarum *primam* constituunt, qui, Philonem secuti, h) *allegoricam interpretandi rationem* amplectuntur. Sed cum nihil magis abhorreat a consilio libri historici, quam si laciniam aliquam detorquere velis in allegoriam, hanc quidem sententiam, veluti ineptam, reiiciendam esse, quis non videt? In horum vero censum paullo iniquius mihi *Perizonius* retulisse videtur illos, qui confusionem linguae de animorum dissensu explicant. Hi profecto non allegoriam verbis inesse autumant, sed ex vsu loquendi, quod volunt, efficere student. i) Ad *alteram* classem magna pertinet illorum interpretum turba, qui dicunt, Deum in hac confusione vi sua omnipotente effecisse, vt *linguae toto genere diuersae exorirentur* hominesque dispergerentur. Hanc poenam hominibus esse inflictam propter insanum illud atque impium opus, quod moliti fuissent. Probos vero Semi posteros, quoniam non in societatem venissent nefarii illius

g) Nomina enim deriuata a speciebus geminatis, interdum euphoniae causa literae, priorem syllabam claudentis, elisionem, patiuntur, sic fit כוכב כוכב *stella* a spec. gem. כבכב quae est a כבב.

h) Explicationem suam proposuit in peculiari libro περὶ συγχύσεως διαλέκτων, qui reperitur in Opp. eius p. 319. Edit. Hoeschel.

i) Hanc posteriorem explicationem inprimis exornare studuerunt *Io. Clericus* in *Commentario in Pentateuch* ad h. l., et *Vitringa* in Obseruat. S. L. I. c. 1-9.

illius consilii, poenae quoque fuisse expertes. Sic ipse *Bochartus* et *Scaliger.* k) Sed non vnum est, quod me ab assensu iis praebendo retinet. Quomodo id poenae loco haberi potest, quod erat ex re atque vtilitate totius generis humani, vti illa hominum dispersio? Quinam opus aliquod vocari potest impium, quo homines saluti suae prospicere volebant? Si linguae tunc ortae sunt plane diuersae ac nouae, vnde mira illa similitudo linguarum Orientalium, Hebraeae, Arabicae, Chaldaicae, Syriacae itemque Punicae? Cur hae non retinuerunt pristinam suam discrepantiam indolemque diuersam? Singularis haec linguarum conuenientia nonne communem ex vna stirpe prodit originem, eamque eadem ratione factam, qua nostro adhuc tempore videmus nouas linguas oriri, scilicet per ἐγκλίσεις et προσεγκλίσεις, vti rectissime dicit *Casaubonus*, quanquam non negauerim, noua etiam excogitata esse vocabula, quae autem mihi fuisse videntur oppido pauca. Haec igitur aliaque dubia cum satis remouere nesciant, qui huic sententiae fauent, alii sunt, v. g. *Hottinger* et *Perizonius*, l) qui non de linguarum origine haec intelligenda esse putent, sed *de vera et proprie sic dicta sermonis confusione et perturbatione, hominibus ad breue tempus immissa.* Sed vt taceam, hoc modo ex vno miraculo, quod Deus patrauerit, bina fieri, ipse v. 1. huic sententiae obesse videtur, in quo verba: *homines vna eademque lingua vtebantur*, quae veluti prooemii loco posuit auctor, referenda sunt sine dubio ad v. 7. *confundamus linguam, ne alter alterum* etc. indeque colligendum, de ortu plurium nouarumque linguarum, quae vni illi opponantur, esse sermonem. Non sufficiunt, quae *Perizonius* ad hanc difficultatem tollendam affert et nimis quaesita videntur. Et nonne tunc statuendum esset, homines in illa sermonis confusione etiam mente fuisse captos? Nam si

k) *Bochartus* in *Phaleg.* L. I. c. 15. *Iul. Caes. Scaliger* in *Exercitatt. exoticis*, Exercit. 259. Sect. I. vbi rem explicat hoc modo: *Deletae sunt species priorum significationum, aliaeque nouae ac variae, aliae aliis mentibus introductae atque impressae. Hinc factum, vt lapidem petenti alius calcem, alius sabulum, alius maltham, alius bitumen, alius aquam ferret. Fortasse etiam non defuisse arbitror, qui sibi dictam, putarent contumeliam atque propterea manum consererent.*

l) *Hottinger* in *historia Patriarcharum*, Exerc. XXI. *Perizonius* in libro supra laudato.

ſi ſecus fuiſſet, non locuti eſſent deliramenta. Mentis vero impotes, qui tandem in familias coloniasue diuiſi in diuerſas regiones migrare potuiſſent ſine ſumma omnium confuſione? Propterea nec in hac ſententia vt acquieſcam, a me impetrare poſſum.

Paucis nunc ediſſerendum eſt, quomodo facilius cenſeam locum noſtrum poſſe explicari. Cum Moſes in Geneſi contexenda monumentis hiſtoricis vſus ſit, quae ex temporibus ſunt antiquiſſimis, m) optimam Geneſeos explicandae rationem puto eſſe hanc, vt ad loquendi conſuetudinem, vetuſtiſſimis temporibus vſitatam, explicationem accommodemus. In illa prima humani generis aetate et veluti infantia homines lingua vtebantur admodum inculta; nam laborabant non tantum magna verborum penuria, ſed loqui etiam ſolebant pro exigua et imperfecta, quam de rebus et naturalibus et diuinis habebant, cognitione, cui in narrando inprimis videmus illos ſe accommodaſſe. Sic, vt hoc vtar, de Deo ſemper fere loquebantur more humano, quoniam non eam ſummi Numinis notionem habebant, qualem nos, ſed exilem, ieiunam et quodammodo puerilem. Hinc illa dictionum anthropopathicarum vbertas, qualis in nullo alio Scripturarum libro. Porro Deo immediate tribuebant ea, quae ipſum mediate tantum feciſſe valde credibile eſt idque inprimis faciebant in illis euentis naturalibus, quorum cauſas non poterant ſatis perſpicere. Haec effecta, quae Deus mediate per prouidentiam ſuam, rerum natura ſemel conſtituta vſus, procurare ſolet, referebant ad ipſum, veluti immediatum eorum auctorem. Pauca huius rei exempla ex magna copia attuliſſe ſat fuerit. Cap. XIX, 24. Deus in Sodomam et Gomorrham ipſe dicitur demiſiſſe pluuiam ſulphuream et igneam, cum magna fulminum copia ſolum illud bituminoſum inter tonitrua incenderet, coll. Cap. XIV, 10.

m) Hanc ſententiam multi iique doctiſſimi Viri argumentis probarunt non facile refellendis, v. c. *Aſtruc*, *Schultens*, *Ieruſalem*, *Doederlein*, *Dathe*, V. S. V. quibus quidem Viris, in hoc literarum genere quam feliciſſime verſatis, libenter aſſentior, nec eſt, quod hunc aſſenſum vel pudori mihi ducam, vel diſſimulandum exiſtimem. Subtiliter vero et accurate, vt ſolet, hoc argumentum tractauit nuperrime *Eichhorn* in libro praeſtantiſſimo *Einleitung in das A. T.* P. II. p. 294-383. quem ſi legeris, ipſe in hanc ſententiam diſcedere non dubitabis.

Ps. XI, 6. Ez. XXXVIII, 22. Eodem modo Deus saepe dicitur ipse pluuiam demittere v. c. Cap. II. 5, quam tamen scimus gigni modo naturali, cum nubes ita condensantur, vt se in guttas resoluant decidantque. Quis Cap. II, 19. vere statueret, nisi ludere vellet in re seria, Deum ipsum animalia duxisse ad Adamum et sollemnem eorum habuisse conuentum, *vt videret, quomodo Adamus ea nominaret*, cum profecto eo nomenclatore Deus non indigeret. Potius sic puto rem esse intelligendam. Deus per prouidentiam suam efficiebat, vt Adamus in ea loca veniret, vbi plura essent animalia, inter quae cum diutius versaretur, varia eorum genera coepit distinguere et variis nominibus appellare. Primis parentibus vestes secundum Cap. III, 19. Deus ipse ex pellibus confecit, quarum conficiendarum modum casus sine dubio, a Deo ipsis oblatus, docuit. Haud dissimili modo Iacobus Cap. XXVII, 20. feram, quam patri apponebat, Deum ipsum profitebatur sibi obtulisse et Pharao cum afficeretur morbo, Deum ipsum dicit, grauissimas plagas sibi inflixisse propter Saram, quam ad se arcessi iusserat, Cap. XII, 17. 18. [n]) In his omnibus [o]) prouidentiam diuinam libenter agnosco, sine qua ne minimum quidem in rerum natura fieri solet; sed Deum immediate haec quidem gessisse, et ipse valde dubito, nec facile aliquis dixerit.

Quae

n) Quaerunt h. l. Viri docti, vnde Pharaoni innotuerit, malum sibi a Deo esse immissum propter Saram? Vulgo respondent, ipsi hoc a Deo fuisse reuelatum. Sed illum per reuelationem hoc resciuisse, nec diserte legitur, nec colligi e textu vllo modo potest. Hinc sententia *Iosephi* mihi arridet, qui in *Archaeol.* L. I. c. 8. refert, regem hac de re consuluisse sacerdotes, qui ex more Aegyptiorum ei simul erant a consiliis, eosque dixisse, hoc malum ipsi ex ira diuina accidisse propter mulierem illam. Hoc vero dicebant non ex oraculo diuino, sed coniectura ducti atque ex more illorum temporum, quibus in vsu erat hominibus, morbos aliaque mala habere pro poenis, diuinitus sibi inflictis propter iratum Numen. vid. Homer. Il. α, v. 69. Nec tamen nego, hoc morbo s. quicquid fuerit mali, Deum vsum esse pro cura, quam habet, rerum omnium, ad Abrahami salutem eique vxorem restituendam.

o) Plura huius rei exempla in Genesi obuia congessit Auctor *der Vrgeschichte*, qui tractatus reperitur in *Repertorio der biblischen und morgenländischen Literatur*, P. V.

Quae cum ita ſint, quidni *linguae confuſionem* eodem modo intelligamus? Quid impedit, quo minus et hanc per prouidentiam Dei actam eſſe putemus? Cur non hic etiam, vt in multis aliis locis, ſimplicisſimum illum narrandi modum agnoſcamus, in quo ad Deum immediate refertur id, quod facere ſolet mediate? Seriptam vero eſſe hanc pericopam ad antiquisſimam illam narrandi ſimplicitatem, luculentisſime intelligitur ex vniuerſa orationis forma et inprimis ex v. 5. 6. et 7, vbi Deus nobis ſiſtitur, ac ſi ipſe inſpicere vellet turrim, quoniam timeret, ne homines conſilium ſuum perficerent. Dicunt quidem, has eſſe dictiones mere anthropopathicas, θεοπρεπῶς explicandas, et ſenſum h. l. eſſe hunc: *Deus curauit haec, quae homines moliebantur, nec vllo modo neglexit.* Sed quod pace illorum Virorum dixerim, nonne hoc eſt, notiones noſtras libris S. inferre et verbis hominum antiquisſimorum ſubiicere? Sunt dictiones anthropathicae; quis hoc negat? Sed vndenam ortae? Nonne ex imperfecta et debili, quam illo tempore homines de Deo habebant, cognitione, ex qua ipſum fere ſemper agere putabant veluti hominem, coll. Cap. I, 31. VI, 6. 7. VIII, 1. XVIII, 21. XXVIII, 16.

Quae quidem cum dubitationem non habeant, rem Cap. XI. narratam puto actam eſſe fere hoc modo. Homines cum in eo eſſent, vt exſequerentur conſilium, quod ceperant, vrbem turremque exſtruendi, Deus per prouidentiam ſuam rem ita moderatus eſt, vt diſcordia inter eos naſceretur animorumque diſſenſio tanta, vt relicto hoc opificio ſingulae tribus et familiae, veluti coloniae, migrarent in diuerſas regiones *p*), in quibus cum per diutius temporis ſpatium vixiſſent, diuerſitas quaedam in eloquendo orta eſt, vnde naſcebantur paullatim diuerſae dialecti, quae et ipſae denique ita mutabantur, vt nouae ortae viderentur linguae. Quam quidem linguae priſtinae mutationem cum homines animaduerterent, mirabundi cauſam circumſpiciebant, quam, cum aliam ignorabant, repetebant ex illa turris exſtructione, quam Deo adeo

p) De hac quidem diſcordia nihil diſerte h. l. traditur. Sed ſaepe hiſtorici cum profani, tum ſacri quasdam rei περιςάσεις, praetermittere ſolent, non niſi ex euentu facti intelligendas. Plura huius rei exempla congesſit *Perizonius*, tum in *animaduerſionibus hiſtoricis*, C. IV. tum in *Origg. Babyl.* c. 13.

adeo displicuisse opinabantur, vt linguan
Huic quidem sententiae ne putes aduersa

citur a confusione fuisse inditum. Cum
cet *disgregatus s. disiunctus est*, quidni
dia eorumque secessione originem trahe
de linguae confusione intelligere solent?

Hanc igitur si admiseris explicationer
forma narrandi simplicissima, omnes illae
tiendis se non parum torquent interprete
vero caue putes esse plane nouam et inaud
intellexerunt viri eruditi, ex veteribus q
qui diserte dicit, nihil Deum in hac sermo
peculiare, sed omnia ab eo naturae perfic
tioribus vero huic sententiae adstipulatur *R*
guae ad turrem Babelicam confusionem
Deum auctorem posse referri, quam quod
lio disposuerit, vt homines, per varias m
pariter assuescerent sermoni; id quod esse
sonum. Neque *Isaacus Casaubonus* a m
ex iis intelligere possum, quae *Hottinger*
ronianis, quae nondum publici iuris facta
tiones suas de historia Patriarcharum inser
explicatione non offendantur, quos scio
quas inde a pueris imbiberunt, tenaciores,
non extorquere cupio, in qua tam libente
de illis ne paullo iniquius statuant, quos, f
tatibus sibi oblatis se extricare conspexerin

q) In Oratione XII. *contra Eunomium*, p.
r) *Histoire Critique du V. T.* L. I. c. 14

linguam hominum confunderet. —
aduerſari nomen, quod v. 9. vrbi di-
Cum enim بل apud Arabas ſignifi-
quidni etiam ex illa hominum diſcor-
n trahere potuit nomen, quod vulgo
ſolent?

icationem, quam ſibi poſcere videtur
nes illae difficultates, in quibus diſcu-
nterpretes, facile remouentur. Eam
et inauditam. Sic enim rem alii iam
eribus quidem *Gregorius Nyſſenus,* [q])
hac ſermonis diſcretione ſibi reſeruaſſe
ae perficienda fuiſſe relicta; Ex recen-
pulatur *Richardus Simonius,* [r]) qui lin-
fuſionem non alia ratione autumat ad
uam quod ipſe prouidentiae ſuae conſi-
varias mundi regiones diſperſi, vario
quod eſſe legibus naturae apprime con-
onus a me diſſentire videtur, quantum
Hottinger ex *aduerſariis* eius *Anti-Ba-*
iuris facta ſunt, depromta in Exercita-
um inſeruit. Si vero ſunt, qui vulgari
uos ſcio eſſe non paucos, opinionum,
enaciores, illis hanc ſuam perſuaſionem
n libenter acquieſcunt. Sed ipſi etiam
t, quos, ſecus ac ipſi ſolent, ex difficul-
nſpexerint.

nomium, p. 781. T. II. Opp. Edit. Morell.
L. I. c. 14. 15.